

dito, una cum fide extitisse, contendunt. Quam debili autem fundamen-  
to haec obiectio sit innixa, exinde patet, quia miracula Christi, secundum  
utramque naturam, diuinam aequae, ac humanam, facta sunt; haec autem non  
a mundo condito, extitit. Deinceps particula ἀπὸ, loco ἐκ, medium, non  
autem tempus cognoscendi, denotat, uti pluribus edocuit CALOVIVS, in  
*Bibl. illustr. T. II. p. 31.* HAMMONDVS, in *Annotat. ad N. T.* et qui-  
dem ad *Ep. ad Rom. p. 10.* GERHARDVS, in *Annotat. ad Ep. ad Rom.*  
*p. 47. seq.* et in *Exegeti, p. 683.* Contra Conclusionem insurrexit STE-  
PHANVS CVRCELLAEVS, Gallus, qui in *OO. Theol. Lib VI. C. X. p. 389.*  
§. 16. affirmat: Gentiles quoque, sine fide saluifica in Christum, posse sal-  
uos fieri, uti Patriarchae, *Abraham, Isaac et Iacob*, ante Christi  
aduentum, salutem adepti sint; hancque suam sententiam dictis,  
*Matth. VIII, 11.* et *Ebr. XI. 16.* corroborare studet. Sed ipsemet proprio  
suo se iugulauit gladio, siquidem in priori, *Matth. VIII. 11* non de *irrege-  
nitis saluatis*, sed primū *conuertendis* et uenientibus ad Christum, atque  
tunc demum saluandis; in posteriori autem, de fide fiduciali Patriarcha-  
rum in Messiam uenturum, et in ἐπαγγελίαις maxime celebratum, secun-  
dum *Ebr. XI. 8. seq. 17. 20. 21.* si modo, ex hoc dicto aliquid pro se *Curcel-  
laeus* sperare potest, quod non uideo, sermo est. De qua ueritate conui-  
ctus CHEMNITIVS, in *LL. theol. P. II. p. 227.* aperte profitetur: *Est  
unum et idem Euangelium, quo omnes sancti ab initio mundi, omnibus  
temporibus, Adam, Noa, Abraham, Iacob, Prophetae et Apostoli saluati sunt.*

*St. Curcel-  
laeus,*

*male pro-  
bans.*

*Notitiam  
naturalem  
pro medio  
habent*

*Variā.*

VI. Post remotionem fidei autem, aliud substituunt medium saluan-  
di, notitiam naturalem nimirum, utpote *Sociniani, Arminiani, Photinia-  
ni, Pelagiani, Scholastici, Weigeliani, Nouelli Prophetae, Paracelsistae,  
Chymici* nonnulli, ac *C. Reformati, Papistae*, alique, quorum mentio fit,  
tum apud QVENSTEDIVM, in *Syst. P. I. C. VI. Qu. 2. p. 261.* tum apud  
SCHERZERVUM, in *Breuiario Hulseman. L. II p. 91.* et in HVLSEMAN-  
NI *Auxiliis gratiae, p. 101.* Quibus etiam Patres, *Irenaeus, Tatianus, Jus-  
tinus, Athenagoras, Theophilus, Clemens Alexandrinus* alique, quos CVR-  
CELLAEVS, in *OO. theol. p. 931.* et BVDDEVS, in *Disp. de fide naturali,*  
*Ienae habita, recenset, annumerantur.* Sed hos Patres excusari, posse,  
quod forsan, bonam partem, locuti sint de Philosophis et aliis Gentilibus  
doctis, quibus nec fama, nec Ecclesia, neque bona pars dogmatum fuit in-  
cognita, adeoque non omni praedicatione caruere, ait HVLSEMAN-  
NVS, *de Auxil. Grat. fol. 90. et 129.* quod iudicium quoque CLEMENS ALE-  
XANDRINVS, *effato suo, Strom. L. I. p. 211.* approbavit: εὐδὲν αἰτ, ὄφελος  
αὐτῶν

αὐτῶν